

Pro eo vero quod *Iudeus* extiterit, ipsum deditiari non debes; etenim (quod ibidem notat *Glossa*) de *Iudeis conversis Ecclesia fundata fuerit*. Hinc S. Congregatio Concilii die 13. Februarii 1683. reprobavit consuetudinem, quæ in Civitate Charchiensi invaluerat, ab Ordinibus excludendi descendentes ab Indis, seu ut vocant, à *Mulatis*; definivitque, Indos, Nigros, omnesque ab aliis, sive per paternam, sive per maternam lineam descendentes, ab Ordinibus recipiendis prohiberi non posse, si cæteris polleant qualitatibus, animique dotibus, à sacris Canonibus præscriptis: cumque Archiepiscopus Ulyssiponensis renuisset Ordines cuidam conferre, qui à Mauris trahebat originem, suas prætexens Synodales Constitutiones, ab Ordinibus excludentes quotquot à Mauris, Nigris, alteriusve nationis infidelibus provenirent; re mature discoussa in S. Congregatione Concilii, die 13. Januarii 1685. respōsum fuit, præfatas Synodales Constitutiones, ut potè obstante Juri communi, nullius esse roboris, ut in terminis tradit laudatus Benedictus XIV. l. c. n. 5. Nec relevat id, quod 1. ad Tim. 3. ait Apostolus, veteris in Episcopum ordinari *Neophytum*, ne in superbiam elatus, iudicium incidat diaboli, ex quo ipsos Neophyti, idest, recens ad fidem conversos, irregulares pronuntiariunt Concilium Nicenum can. 2. Laodiceum can. 3. Arelatense 1. can. 1. Nam id solum evincit non dicere, ut qui erat heri Cathecumenus, hodie fiat Episcopus, prout explicat textum Apostoli S. Hieronymus, relatus in summa 48. dist. in quo sensu etiam Origines lib. 3. contra Celsum inquit: *Qui ex Gentili, vel Iudeo fit Christianus, aut ex vita prava ad honestam convertitur, ne statim Episcopus fiat.* Propterea aliqui ex DD. asserunt, per annum expectati debere antequam hujusmodi baptizatus promoveantur ad Ordines, alii per biennium, alii per decennium, alii denique id relinquunt utrumque arbitrio Episcopi, cum nullum hac de re sit certum tempus definitum à jure. Cæterum cum prudenti judicio Episcopi satis probatus fuerit humilis moribus, doctrina ac integræ legis Evangelicæ institutione prædictus, uno verbo, habens qualitates requisitas, absque ullo timore impactæ irregularitatis utique potest ad Ordines, ac Beneficia promoveri. Majolus de Irreg. lib. 1. cap. 32. Barb. de Episc. part. 1. tit. 2. Gloss. 17. n. 6. Quod si Sextus V. Clemens VIII. ac S. Congreg. S. Officii statuere, ne in Regno Portugalliae descendentes à *Judeis* promoveantur ad Ordines, teste præfato Sanctissimo Benedicto XIV. ibid. n. 4. id non inferior recte factum fuisse, ac valide; cum enim Summus Pontifex, interveniente justa ac rationabili causa, plenum jus habeat statuendi aliquid, etiam contra jus commune Ecclesiasticum, pro aliqua regione, quando id conferat ad animarum salutem, id eos fecisse in casu credendum est: habet enim Pontifex in hoc sensu omne jus in scrinio pectoris sui: quod tamen de particularibus Episcopis, etiam in Synodo leges statuentibus, non verificatur; ac proinde, absque licentia & approbatione Summi Pontificis, nil contra jus commune possunt statuere. Quantum ad tertium, censeo, hujusmodi baptizatum dici posse subditum ratione originis, illius Episcopi, in cuius Diœcesi Baptismum suscepit, utri cum Lamparez num. 400, probabile dicit P. Morenus Opusc. in Bullam *Speculatores Innocentij XII.* de uit. Originis post dub. 6. num. 135. cui quoad hoc consentire videtur

Monacellus Formular. part. 3. in appendice pag. penes me 325. n. 40. Cum enim Baptismus sit spiritualis nativitas, subrogari potest loco nativitatis naturalis.

**M E N S E M A I L.**

**CAS. I.** *V*Idit Brutus committi grave furum in telonio Mercatoris; at quia fures dederunt ei quædam summam, ne eos manifestet, interrogatus à mercatore, an fures viderit, negat se illos vidisse. Q. primo, an Brutus licet possit sibi retinere summam à furibus acceptam. 2. an si, eo fures manifestante, Mercator facile rem furatam recuperasset, idem Brutus teneatur reficere damnum Mercatori.

Respondeo ad primum cum distinet. Vel talis summa est pars furti; vel est res, que erat propria furum. Si primum, dico, Brutum non posse sibi eam licite retinere; cum enim per furum non transierit ejus dominum in fures, consequens est, quod neque hi potuerint ejusdem dominium in Brutum transferre, qui propterea tenet eam restituere vero domino, ad quem clamat. Si secundum, dico, Brutum per se posse sibi eam licite retinere, eo quia supposita non manifestatione furum ex parte ipsius, acceptio, ac detentio talis summæ injusta non est; & ideo licite potest ab ipso retineri, ut docet S. Thom. in dist. 4. 15. quæst. 2. art. 4. quæst. 2.

Ad secundum respondeo, Brutum ad id teneri in hac hypothesi, solum si tenebatur clamare, seu fures manifestare ex justitia; secus vero, si ex sola charitate. Ratio utriusque partis est, quia obligatio reficiendi damnum, sive positive, sive negative illatum, oriuntur solum ex violata justitia, ut fert communis Doctorum consensus; ergo si Brutus tenebatur ex justitia fures manifestare, ob non factam eorumdem manifestationem, tenetur mercatori reficere damnum; non sic vero si tenebatur eos manifestare ex sola charitate; in hoc enim secundo casu violavit quidem charitatem, sed non justitiam. Et hoc valet etiamsi fures non manifestasset ex odio, vel alio præfectu; & probabilius etiamsi ex ipsis taciturnitate fures facti fuissent animosiores, ac securiores in furando: ex neutro enim capite peccasset in toto rigore contra justitiam; & non nisi improprie, ac lato modo posset dici consentiens in damnum, quatenus nempe illud non impedivit, prout tenebatur ex charitate; non vero quatenus illud non impedierit ad id obligatus ex justitia, sicuti requiritur ad hoc, ut quis dicatur, ac sit proprie consentiens, eo scilicet consensu, per quem habetur verus influxus in damnum, & ex quo proinde emergit onus ipsum reficiendi. Navarrus in Man. cap. 17. n. 21. Giribaldus, Rosignolus, & alii.

**CAS. II.** Beneficiarius quantum est diligens in colligendis fructibus è prædio sui Beneficii, tantum est negligens in ponendis arboribus, vitibus, &c. ubi desunt; se hoc prætextu excusans, quod neque ipsi in tali situ inventit arbores, vites, &c. Q. an hoc vere ipsum justificet.

Respondeo negative, ut apertissime constat ex ultima Diœcesana Synodo lib. 3. cap. 10. §. Beneficiati, idque etiam ipsam ratio suaderet: siquidem Beneficiati sunt bonorum Beneficii curatores; ut ibidem legitur, seu procuratores, & certo quodam modo comparari possunt usufructuariis, prout non semel fit comparatio apud auctores. Propterea sicuti Procuratoris officium

exigit, ac usufructuario incumbit onus plantandi novas arbores, aut vites, ubi desunt, vel demortuæ sunt, ut inter alios tradit Giribaldus de Jusit. & Jur. cap. 2. num. . Ita consimilis obligatio inest Beneficiato in pari casu, in nihilo ipsi suffragante adducto prætextu, licet enim tolerare nequit inculcos agros, vitibusque suis viduatas ulmos, sine dote fructifera squalere vienes, &c. Hinc enim sit, ut successores plerique in Beneficio congrua sustentatione priventur, & oneribus suis satisfacturi, angustiis premantur, uti prosequitur præfata Synodus: inde progrediens ad remedia, ac comminationem pœnaru[m] contra negligentes melioramenta. Et de facto si contra notabiliter negligentem fiat instantia, hic aut ejus hæredes adiunguntur ad reparationem dannorum; ut constat ex praxi, quod denotat præcedentem obligationem Beneficiarii.

CAS. III. Applicato casualiter igne horreo frumentario Sempronii, Se[nti]us inde extraxit aliquot corbas tritici, quas sibi retinuit, eo prætextu, quod ignis eas simul cum aliis combusisset. Q. an id tuta conscientia facere potuerit.

Respondeo negative cum Giraldo de Restit. cap. 2. dub. 3. n. 35. aliisque comm. Ratio est, quia res quomodocumque supersit, domini sui est, ac ad ipsum clamat; & servans illam, non habet jus nisi ad refectionem expensarum, si quas fecit pro ejus conservatione, & ad mercedem pro opera ad illam servandam præstata, juxta meritum laboris, ac periculi ad eamdem eripiendam. Præterea, hisce refectis, tenetur Sempronio extractas tritici corbas restituere, utpote domino earumdem. Neque dicas, quod triticum eo in casu, ac statu erat nullius valoris, & habebatur tamquam res derelicta; utrumque enim falsum est, nam quoisque frumentum in suo esse existit, suum habet valorem; nec derelictam à Sempronio proprie dici poterat, cum ejusdem dominium numquam abdicasset, & actum, si potuisset, per quam libenter à flamma eripuisse. Deinde quamvis Se[nti]us ipsum fecerit melioris conditionis, nihil refert: status enim ad rem ipsam pertinet, quæ domino suo debetur.

### M E N S E J U N I I.

CAS. I. Rusticus occasione Missionum factus est certior, quod per bienum omisit in Confessionibus plura lethalia, quæ ex conscientia erronea, sed vincibili, ipse putabat venialia. Q. an debeat iterare hujusmodi Confessiones.

Respondeo, per se loquendo ipsum iterare debere hujusmodi Confessiones. Ratio est, quia semel ac omissione plurium lethalium in Confessionibus ortum habuit ex conscientia erronea vincibili, per se non fuit immunis à culpa; nam stante vincibilitate illius erroris dictaminis, tenebatur prius inquire, an illa peccata mortalia essent, nec ne, antequam eorumdem Confessionem omitteret, ut docent Theologi communiter, ubi sermo est de conscientia erronea vincibili; eaque omittere in Confessionibus non adhibita tali diligentia, & inquisitione, idem erat, ac voluntarie se exponere periculo confitendi absque debita integritate, prout de facto contigit. Præterea cum

cum hoc fuerit male, ac sacrilege confiteri, dicendum est, Rusticum in casu iterare debere hujusmodi Confessiones; ut tradunt Leand. de Sacr. Pœnit. disp. 5. quæst. 70. Philippinus de Privil. Ignor. cap. 15. privil. 4. n. 887. ac Puteobonellus de Pœnit. quæst. 3. art. 7. n. 3. Dixi tamen ab initio per se loquendo, eo quia fieri potest, quod Rusticus, non obstante illa conscientia erronea vincibili quoad prædicta peccata, habuerit tempore illarum Confessionum conscientiam erroneam, seu ignorantiam invincibilem quoad præceptum, & obligationem inquirendi veritatem, aut de his se accusandi in Confessione; dantur enim, teste Philippino l. c. privil. 3. num. 883. & aliis, homines adeo rudes, ut id invincibiliter ignorent; idque quandoque evenire etiam in pueris, ac pueris, testantur Fagundez de 2. Eccl. præc. lib. 3. cap. 3. ac Henriquez de Pœnit. lib. 2. cap. 12. Quare si Rusticus revera laborasset hac invincibili ignorantia, tunc non inficer, quod per accidens, ac ratione ejusdem ignorantiae, prædictæ Confessiones fuissent integræ formaliter; sive nulla adesset necessitas eisdem repetendi, sed tantum exponendi lethalia prius omissa, ac postea ab eo cognita ut necessario clavibus subjicienda; ut docet Bonacina de Pœnit. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 4. num. 2.

CAS. II. Constitutus in gravi periculo mortis, metuens sibi superesse modicum temporis, exposuit quidem peccata sua distincte quoad speciem, ex. g. commissi plura perjuria, &c. sed non quoad numerum. Nunc, cum convaluerit, suæque velit animæ prospicere, petit à Confessario, an teneatur iterum confiteri, exprimendo etiam numerum. Quid responderet Confessarius?

Respondeat, quoad mortalia teneri. Ratio est, quia ad integratatem Confessionis spectat, ut non solum manifestentur peccata specie distincta; sed etiam, ut quantum fieri potest, distincte manifestetur numerus peccatorum mortaliū in qualibet specie, non quidem numerando singula peccata, quod esset molestum, & inutile, sed uno verbo explicando numerum cuiuslibet speciei: puta, decies pejeravi, duodecies blasphemavi, &c. nam secus nequit Confessarius rite, ac recte exercere munus suum, ut aperie insinuat Tridentinum sess. 14. cap. 5. Cum ergo pœnitens dicendo, commissi plura perjuria, &c. distincte non expresserit numerum, quinimo nec numerum verisimilem, sed tantum in confuso dixerit, se plures peccasse in tali, & tali specie; ideo dicendum, ipsum teneri, &c. prout est usus, & praxis totius Ecclesiæ, ac communis consensus DD.

CAS. III. Marculta defert ad mercatum ova, quorum aliqua sunt recentia, alia vero non, omnia tamen sunt carbone signata. Interrogata, an sint recentia, tangens illa quæ vere sunt, affirmat cum juramento, ac credit se hoc posse facere. Quid dicendum?

Dicendum, Marculfam non posse id facere, sed male se gerere tum deferendo singula ova carbone signata, quando omnia recentia non sunt, tum affirmando cum juramento, ea esse recentia; ipsamque à vero aberrare, si credit, se hoc posse facere. Ratio primi est, quia deferte singula ova carbone signata, quando &c. elare denotat animum decipiendi proximum, vendendo pro recentibus quæ talia non sunt, nam ob-signatio cum carbone hic est consuetum signum, distinguens ova recentia

tia à non recentibus. Unde cum talis animus pravus sit, ac peccaminosus; dicendum, ipsam id faciendo male se gerere. Ratio secundi est, quia in primis sic se gerendo, non videtur excusabilis ab usu illicitæ restrictio-  
nis mentalis; nam quamvis, dum affirmat cum juramento ova esse re-  
centia, manu tangat ea, quæ vere talia sunt, id tamen ita facit, ac in  
talibus circumstantiis, ut etiam vir prudens, & oculatus, eo tactu non  
obstante, facilime decipiatur, nec venire possit in cognitionem veritatis,  
nisi ad summum per suspicionem quamdam, stantibus ex adverso univer-  
sali obsignatione ovorum, absoluta ac indefinita affirmatione, & juramen-  
to, quod illa recentia sint. Deinde tunc non intervenit ullum grave mo-  
tivum, nec ulla causa vere gravis, & rationabilis utendi ea locutione am-  
phibologica. Hinc cum omnes convenient, teste Giraldo de Juram. & Vot.  
cap. 3. dub. 2. num. 19. non esse licitum uti verbis æquivocis, & amphibi-  
ologicis absque gravi & rationabili causa, & multo minus juramento firma-  
re ea, quæ sub æquivatione, & amphibologia dicuntur, quia tota des-  
truueretur civilis, & politica societas, ac humanum commercium, si abs-  
que justa & rationabili causa posset homo loqui, & jurare in sensu di-  
verso ab eo, quem audiētes communiter percipiunt, multisque dolis, &  
fallaciis aditus aperitur, cum gravissimo præjudicio humanæ societatis,  
ac humani commercii, ideo dicendum, etiam ob hoc, non posse Mar-  
culfam id facere, & per consequens ipsam à veritate aberrare, si oppositum  
putat.

## M E N S E J U L I I

**CAS. I.** Paterfamilias filio suo perpetuo amenti præbet carnes comedendæ etiam diebus Veneris, & Sabbati, eumque laborare facit diebus festis. Q. an licite? 2. an hoc idem fieri possit cum eo, qui actu ha-  
bet lucida intervalla? 3. an sit mortale excitare actu amentem ad iram taliter, ut quid turpe, aut blasphemum proferat?

Respondeo ad primum affirmative cum Layman de Legibus cap. 10. n. 1. & 3. Giraldo, aliisque communiter, dummodo tamen absit scandalum, contemptus legis, & alius quilibet pravus finis; ac simul cum amente non occupetur alter, qui teneatur ad legis observantiam. Ratio est, quia perpetuo amens, utpote impotens operari humano modo, non subditur legibus ista verantibus; nam lex, seu præceptum, est vinculum rationis, ut ait Angelicus quæst. 17. de verit. art. 3. Propterea ministrare illi carnes ad comedendum diebus Veneris, & Sabbati, ac facere ipsum laborare diebus festis, non est illum inducere ad violationem legis, cum ei non sub-  
sit; sed est ipsum inducere ad actionem, in eo statu ipsi licitam, ut recte inquit P. Cunigliani de Leg. §. 8. num. 5. ac proinde in hoc nullum est malum. Dixi tamen, dummodo absit &c. nam certe, si id faciendo interve-  
niret scandalum, aut &c. id facere non licet, ut explicuimus anno 1749. ad 2. Febr.

Ad secundum respondeo, licite fieri non posse, ut habens lucida in-

intervalla, laboret in die festo, posse tamen, etiam eo tunc, illi ministrari carnes die Veneris, & Sabbati. Ratio primæ partis est, quia, cum tunc sit sui compos, ac proinde capax, ac potens servare legem, hæc pro ea circumstantia ipsum adstringit: quemadmodum juxta Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 12. num. 4. & de Matrim. lib. 1. disp. 8. num. 23. amen-  
tes in una sola materia à lege adstringuntur, quoad reliqua, circa quæ sunt sui compotes, ac usu rationis perfruuntur. Ratio secundæ partis est,  
quia licet amens quandoque habeat lucida intervalla, non per hoc est liber à suo morbo, ad cuius curationem non ita conferunt alii cibi, ut carnes, & ideo etiam tunc possunt ei ministrari. Vide Sanchez l. c. n. 13. & 16. ac Layman ibid. n. 3.

Ad tertium respondeo, esse mortale excitare actu amentem ad iram taliter, ut proferat quid blasphemum, vel graviter turpe, aut scandalosum; nam hæc gravia sunt ex genere suo. Esset tamen leve, ipsum excitare ad levem iracundiam, ac aliiquid veniale. Ratio utriusque est, quia ex tua parte numquam caret culpa excitare ad id, quod malum est; id enim est positive inducere ad malum; ex alia ipsa excitatio est gravis, aut levis, prout est malum ipsum, ad quod inducit; siquidem per inductionem ad illud, participat, immo ponitur in eodem genere mali. Nec refert, quod amens eo tunc, utpote sui impos, nullo modo peccet, nam si non peccat ipse, peccat tamen inducens, qui eo uitur, tamquam instrumento, ad malum perpetrandum, ac est causa principalis, & quodammodo per amentem malum faciens. Layman ibid. num. 13. aliquie comm.

**CAS. II.** Conscius Filiusfamilias, quod suus pater plura legaverat ad piæ causas, importuosis precibus eumdem induxit ad mutationem Testamen-  
ti, & ad relinquendum ipsum hæredem absque ullo onere. Q. an pec-  
caverit, ac teneatur aliquid restituere iis, quibus Pater prius Legatum reli-  
querat?

Respondeo negative, si solis precibus, licet importunis, ac proinde se-  
clusa vi, metu, mendaciis, ac dolo, id præstitit. Ratio est, quia in tali ca-  
su non peccavit contra justitiam, neque contra charitatem. Non contra  
justitiam, quia etiamsi Pater jam plura legasset ad piæ causas, tamen nec  
ulla persona, nec ullus locus adhuc acquisiverat aliquod jus supra sibi le-  
gata: & de facto si Pater à semetipso Testamentum murasset eodem mo-  
do, nulli fecisset injuriam, atque injustitiam. Propterea cum per in-  
ductionem Patris ad mutationem Testamenti Filiusfamilias nullius jus  
proprie violaverit, consequens est, quod etiam ipse non peccaverit con-  
tra justitiam; cuius læsio solum intervenit, quando læditur jus alienum.  
Hinc obligatio restituendi, ratione damni dati, sine violatione justitiae  
non emergat, ut supra notavimus ad 2. Maii; ideo dici debet, quod  
Filiusfamilias in casu ad nullam restitutionem teneatur iis, quibus Pa-  
ter prius Legatum reliquerat. Bonacina de Restit. disp. 1. quæst. 2. punct. 12. num. 5. Barthol. à S. Fausto Spec. disp. 28. quæst. 1. & clare  
decisum videtur in l. ult. C. Si quis aliquem testari prohibuerit, ubi dici-  
tur, eum, qui blanditiis, sive vi, metu, mendaciis, vel dolo, Testa-  
men-

mentum mutari, aut legata, transferri in alterum facit, ad restitutionem non obligari. Neque peccavit contra charitatem, nam potius ordinata charitas ostulat, ut quisque sibi velit bonum aliquod, quam aliis, præcipue si Filius habeat familiam numerosam, &c. Excipe tamen casum, quo Filius familias id fecerit ex odio, vindicta, vel alio pravo animo, tunc enim certum est, quod ratione istius pravi animi peccasset contra charitatem.

**CAS. III.** In solescentibus filiis, Materfamilias quandoque jurat per Deum se ipsos verberaturam; nec tamen id umquam exequitur. Q. an, & qualiter peccet?

Respondeo cum distinctione. Vel Materfamilias talia proferens, eadem profert cum animo vere jurandi, ac implendi id quod jurat, vel non. Si non, sed hisce verbis uitetur veluti quodam modo usurpatō ad deterrendos filios, ut ab insolentiis desistant, ac recte se gerant; dico, ipsam quidem peccare, quoties id facit, peccato irreligiositatis, quatenus irreligiose, ac ex passione sic nominat Deum; cuius sanctum, ac terrible nomen vel debita cum veneratione nominandum, vel omittendum est; sed non peccare mortaliter: tum quia id facit ex quodam passionis impetu, advertentiam, ac deliberationem in malum minuente; tum quia non habet animum formaliter abutendi nomine Dei, ipsumque injuriandi. Si postea predicta profert cum animo vere jurandi ac implendi id, quod jurat, subdistingo: vel talia proferendo jurat, se filios verberaturam verberatione discreta, & proportionata insolentiæ filiorum, & in tali casu dico, quod quoties id non exequitur, absque rationabili, ac vere urgenti motivo, peccat mortaliter contra Religionem, eo quia in re gravi violat promissionem juratam, ac de re licita, immo præcepta parentibus; item mortaliter peccat contra obligationem officii sui, cum parentes teneantur ex officio objurgare, & castigare filios discolos, ad eorumdem emendationem ac salutem; nam discreta verberatio expedit ad Dei obsequium, filiorumque emendationem. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 9. num. 16. Vel jurat, se filios verberaturam verberatione indiscreta, & impropotionata insolentiæ filiorum; & tunc dico, ipsam peccare mortaliter sic jurando, nisi defectus plenæ advertentiæ, aut deliberationis ipsam excusat: sicuti enim mortale est, ipsos verberare indiscrete, ac immoderate, juxta Bonac. in Decal. disp. 6. quæst. un. punct. 6. num. 5. ita quoque mortale est, plena cum advertentia ac deliberatione jurare verberationem indiscretam, ac immoderatam, proindeque talis verberationis omissione Materfamilias in casu non est culpabilis, quemadmodum neque esset culpabilis omissione verberationis etiam discretæ, si hæc omitteretur ob interpositionem amici, veniam pro aliqua vice obtinenterit, ne sequatur aliquid gravius malum. Vide Sanchez l. c. ac Girib.

**M E N S E A U G U S T I .**  
**CAS. I.** Ruffilis invisenda Amasiæ causa fecit in die jejuniū longum, ac laboriosum iter, unde postea valde fatigatus, jejuniū fre-

fregit. Q. an fractio jejuniū sit ei imputabilis ad culpam?

Respondeo cum distinctione. Vel Ruffilis, suscipiendo tale iter longum, ac laboriosum, prævidit, quod illud faciendo fieret moraliter impotens ad jejunandum tali die, vel non prævidit. Si prævidit, dico, fractio nejjuniū esse illi imputabilem ad culpam; eo quia, stante tali prævisione, tenebatur abstinere ab illo itinere longo, & laborioso; cum præceptum obligans ad aliquid, simul, & semel obliget ad non apponendum voluntarie impedimentum executioni rei præceptæ, ac virtualiter prohibeat omnes actus, qui sunt causæ non rationabiles omittendi ejusdem præcepti observantiam, ut docent innumerī Doctores apud Bossium disceptat. 4. Si non prævidit, dico, fractionem jejuniū, etiamsi ex ejus culpa proficidente, non esse illi imputabilem ad culpam, quia impotentia vere talis excusat; nam ad possibile nemo tenetur, quocumque ex capite isthæc impossibilitas proficiscatur, ideoque etiamsi proveniat ex causa aliunde culpabili.

**CAS. II.** Vivit Sergius cum paupere Concubina, perinde ac si esset sua uxor, & de facto in tota vicinia legitima ejus uxor reputatur: Sergius enim eidem consignavit nedum clavem domus, verum etiam omnes alias claves, quas tenere solent legitimæ uxores. Jam vero contigit, quod illa, inscio Sergio, plures ejusdem res domesticas vendidit, puta, vestes, linneolas, subuculas, aliaque hujusmodi, cum Sergii damnō notabili, quorum etiam pretium consumpsit. Q. an qui penes se habent hujusmodi res emptas, inconfusas, aut à propriis discernibiles, teneantur eas Sergio reclamanti restituere?

Respondeo cum communi affirmative. Res enim clamat ad Dominum, & sic in casu Sergium, qui est verus Dominus hujusmodi terum adhuc extantium; nam, cum Concubina earumdem dominium non haberet, non potuit tale dominium transferre in emptores, qui propterea tenentur eas restituere Sergio. Nec istos eximit ab hoc onere consignatio clavum ab eo facta Concubinæ: etenim non per hoc ipsam efficit Dominam terum domesticarum, sed tantum custodem; proindeque ementes ab ipsa, excusantur quidem à peccato, si bona fide emerunt; non tamen ab onere restitutio nis, si penes ipsos res adhuc extat: ut patet in eo, qui bona fide aliquid emit à fure, quem (saltem in casu, quo nequit emptionis contractum rescindere, ac pretium à se solutum recuperare) DD. communiter obligant rem Domino restituere.

**CAS. III.** Commisit Ammonius incestum cum propria Sorore, cum tamen confitetur, reticet Sororis circumstantiam, exprimitque se peccasse cum consanguinea. Q. an irrita sit talis Confessio? Respondeo in sententia admittentium necessitatem exprimendi circumstantias notabiliter aggravantes, tales Confessionem per se irritam esse: eo quia incestus cum consanguinea in primo, & etiam in secundo gradu, importat quid plus (& quidem notabiliter) deformitatis, irreverentiae, ac impietas, quam consanguineis in aliis gradibus; ut eo sit manifestum, quod Episcopi communiter incestum sibi reservant in primo, & secundo gradu, non sic in aliis. Quoniam vero patrohi sententia contra-

trariæ suam quoque opinionem dicunt in praxi tutam, ut videre est apud Cardenam Christ. dissert. 2. cap. 6. art. 3. eamque, ultra Scotum, & D. Bonaventuram, tradidisse videtur S. Thom. in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 3. & alibi; ideo cohærenter ad hanc sic distinguo: vel Ammonius confessus est penes Confessarium simplicem, vel penes habentem facultatem etiam in casus reservatos. Si primum, dico, talem Confessionem esse irritam, si forte non concurrerint, quæ dederint locum validæ, ac licitæ absolutioni indirectæ præfati incestus. Ratio est, quia simplex Confessarius carebat facultate ipsum absolvendi à tali casu reservato, & sic non potuit ipsum valide absolvere. Si secundum, dico talem Confessionem per se non esse irritam, sed validam. Ratio est, quia licet incestus cum Sorore vere gravior sit, quam cum consanguinea ulterioris gradus, tamen magis ac minus non variant speciem, & malitia specifica utriusque in ambobus casibus consistit in gravi injuria facta sanguini per illicitam copulam, unde, exprimendo se peccasse cum consanguinea, expressit Ammonius totam malitiam specificam peccati à se commissi. Hinc cum confessus fuerit, ac obtinuerit absolutionem à Confessario, qui valide poterat ipsum absolvere ab incensu, etiam cum Sorore, valida dici debet talis Confessio.

### M E N S E S E P T E M B R I S.

**CAS. I.** Titius Mercator, ut daret mutuum amico, reliquit certam quamdam negotiationem, ratione cuius illi cessat lucrum, sed ratione suæ industriæ tantumdem acquirit ab alio exercitio, cui se applicuit, ac si pecuniam implicasset. Q. an juste possit exigere à mutuatario lucrum cessans ob negotiationem omissam?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia lucrum, quod Titius percipit à novo exercitio, nullo modo dependet ab Amico mutuatario, cum hic nullum præstet influxum in tale exercitium, nec proprie Titio proveni ratione mutui, sed ratione exercitii, cui ipse se applicuit, & in quo sie exercet; propterea non impedit quominus Titius juste exigere valeat ab Amico pactam compensationem lucri sibi cessantis ob negotiationem omissam: ex quo enim tali novo exercitio lucrativo se applicuit, non cessit juri suo in ordine ad dictam compensationem, quam proinde licite exigere potest. Neque dicas: Non facta mutatione Titius percepturus non fuisset hujusmodi lucrum ex tali exercitio; ergo mutuatio est causa talis lucri, quo proinde compensatur non perceptum ob omissam negotiationem. Contra enim: in hoc argumento intervenit fallacia à non causa, ut causa, ut inquit Dialectici: hinc sicuti recte non concluderet, dicens: Si tibi furtum factum non fuisset, non laborasses, neque ex labore tantum lucri percepisses, quantum tibi per furtum fuit ablatum: ergo furtum est causa talis lucri, sicque furtu restituere tenetur, ita nec recte concludit objectatio; per consequens Titius Mercator potest utique exigere, &c. quidquid in contrarium dicat Lessius de Just. cap. 20. dub. 11. num. 85. Vide Rosignol. de Mut. & Usur. disquis. 6. §. 5.

CAS.

**CAS. II.** Parochus excommunicatus denuntiatus assistit matrimonio Parochiani, qui in articulo mortis ducit uxorem, quam ante habebat concubinam. Q. an valide, ac licite assistat?

Respondeo, valide, ac licite assistere, dummodo tamen non sit hæreticus, vel actu à beneficio depositus. Ratio quoad valide in primis desumitur ex declaratione Sacrae Congregationis relata à Fagnano in cap. Quod à prædecessore, num. 81. de Schismat. tom. 6. Deinde assistentia Parochi non est actus jurisdictionis, sed auctoritas præstata per præsentiam testis auctorizabilis; ut patet ex eo, quod actus jurisdictionis nequit fieri ab invito, & contraria intentionem habente; & tamen valet matrimonium contractum coram Parocco invito, ac sponsos increpante, ut plures declaravit eadem Sacra Congregatio. Ergo cum non obstante Excommunicatione, adhuc in eo perseveret cum beneficio isthæc auctoritas, valide assistit, &c. Ratio postea quoad licite est, quia talis assistentia non est mala ex genere suo, cum non sit exercitium Ordinis, aut jurisdictionis, quod per excommunicationem tantum impeditur; nec est mala quia prohibita, cum non constet de jure id prohibente: ergo tali Matrimonio assistit etiam licite. Neque dicas, hanc assistentiam esse communicationem, ab Ecclesia prohibitam excommunicatis. Contra enim: ut hæc fiat licite, non requiriatur necessitas absoluta, sed sufficit necessitas ad melius esse, immo & utilitas, ut constat ex illis causis excusantibus, *utile, lex, humile, res ignorata, necesse*. Porro quis neget, innesse contrahentibus in præfatu casu hanc necessitatem, vel saltem utilitatem, præcipue si degant in loco valde dissito ab Ordinario? Rosign. de Matrim. 1. prænot. 29. n. 1. & 4.

**CAS. III.** Sergius initurus Matrimonium per Procuratorem, mittit speciale mandatum fœminæ, ut hæc nomine ipsius illud contrahat cum sponsa quod illa de facto peragit. Q. an tale Matrimonium sit validum?

Respondeo affirmative. Ratio est quia nulli reperitur præscriptum, quod nequeat fœmina ad id deputari, & ad id peragendum aliud non requiritur, quam quod habens speciale mandatum, nomine sui principalis, deferat, ac respective acceptet ab altera parte consensum in Matrimonium; quod, ut patet, æque effici potest à fœmina, ac à mare; ideoque dicendum, quod si in casu id fiat, tale Matrimonium est validum, Sanchez, Rosignolus, & alii comm.

**CAS. I.** Ustorgius, vir improbus, sèpissime sollicitat ad turpia Rosam suam cognatam, in eadem domo manentem, quæ multoties ob ejus importunas preces, & minas, assentitur, & absque ulla dispensatione reddit, ac etiam petit debitum à viro suo. Accedit tamen frequenter ad Sacramentum Poenitentiaz cum animo vere abstinendi à nefario concubitu cognati. Q. primo, an Rosa sit capax absolutionis; & quæ remedia sint ei assignanda à Confessario, ut impeditat tale peccatum? Secundo, an Confessarius teneatur eam admonere de impedimento affinitatis, contracto cum marito in ordine ad copulam? Tertio, an de licentia

Ddd